

terrarum et districtuum ac palatinatum regni provinciaque conventionalia latius caventia partium omnibus iuribus^g nec non appellationibus de iure ad aliam conventionem et decretum colloquiorum seu terminorum generalium interpositis in vigore suo salvis permanentibus. Iudicia tamen omnia et singula atque officia terrarum atque locorum omnium et singulorum, ius et iustitiam debitam et executionem rei iudicatae ordine debito iuxta iuris formam exequantur et peragantur interim sub hac videlicet causarum et terminorum omnium et singulorum generali limitatione ex his omnibus causis, quaecunque coram eis quomodolibet essent introductae et agitatae et in hac generali suspensione, prorogatione et limitatione non fuerint inclusae seu quomodolibet et ex quacunque causa in praesenti conventionem occupatae.

II. LITTERAE RESTIUM

A. Primarum restium ingrossatio

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis, civibus ceterisque cuiuscunque status, condicionis et praecminentiae subditis nostris bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem generalem bellicam de iure vel consuetudine regni nostri obligatis. Sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Magna regno nostro ab hostibus nuntiantur pericula quae ne imparatos nos opprimant, mandamus sinceritati et fidelitati vestrae his primum restium litteris quandoquidem nulla alia...^a

B. Litterae secundarum restium

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis, ceterisque cuiuscunque status, conditionis et praecminentiae subditis nostris bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem generalem bellicam de iure vel consuetudine regni nostri obligatis. Sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Mandamus sinceritatibus et fidelitatibus vestris cum antea primis restium litteris ut omnia quae belli usus postulat paparetis^b ad hostium impetum propulsandam, si quem in regnum et dominia nostra facere voluerint ad quorum conatus reprimendos quoniam sola bellica expeditio relicta nobis est, ne aliqua imparilia^c defuisse reipublicae videamur, quam magna undique circumstare pericula animadvertimus. Mandamus Sinceritatibus et Fidelitatibus vestris, duximus ita, ut hisce alteris restium litteris mandamus, arma expediant, equos parent ceteraque arma, quae belli necessitas postulat, in promptu habeant, ut cum tertiis restium litteris vocatae fuerint ad locum, quem in illis designabimus, nulla interposita mora conveniant. Interea nihilominus exerceri iudicia volumus, quoad tertiarum restium litterae missae a nobis fuerint. Hasce autem litteras nostras nemo apud se retinere audeat, sed eas viciniore perferendas, ultimis vero capitaneo loci reddendas curet, sub gravi indignatione nostra et poenis statutis regni nostri perscriptis aliter non factururus. Datum Cracouiae, 18 Martii anno Domini MDXLVIII [18 III 1548], regni vero nostri XLII. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

^g Na marginesie dopisano i przekreślono: in vigore suo salvis permanentibus ne.

^a Tekst w G. Sier., t. 10, urwany i nie jest kontynuowany na stronie następnej (prawidłowo numerowanej, 354), gdzie znajduje się nowy wpis. ^b Tak w rękopisie, powinno być: pareretis. ^c W rękopisie: in parile.